

HISTORIA DIPLOMATICA
FRIDERICI SECUNDI

SIVE

CONSTITUTIONES, PRIVILEGIA, MANDATA, INSTRUMENTA QUÆ SUPERSUNT
ISTIUS IMPERATORIS ET FILIORUM EJUS.

ACCEDUNT EPISTOLAE PAPARUM ET DOCUMENTA VARIA.

COLLEGIT, AD FIDEM CHARTARUM ET CODICUM RECENSUIT, JUXTA SERIEM ANNORUM DISPOSUIT
ET NOTIS ILLUSTRAVIT

J.-L.-A. HUILLARD-BRÉHOLLES.

AUSPICIIS ET SUMPTIBUS

H. DE ALBERTIS DE LUYNES,

UNICUS EX ACADEMIAE INSCRIPTIONUM SOCIIS.

TOMUS I.

PARS I.



PARISIIS

EXCUDEBANT PLON FRATRES,

36, VIA DICTA VAUGIRARD.

MDCCCLII. ω

151

[Novembri vel
decembri.]

Constantia, Romanorum et Siciliae regina, Urgellensi episcopo scribit de tristi casu regis Aragonum fratris sui quem diu ignoraverat; monet se ad papam nuntium misisse, hortaturque ut apud eum preces interponat tam de sepultura ejusdem regis corpori concedenda quam de statu pupilli regis ordinando.

(Edit. ap. RAYNALD., *Annal. eccles.*, tom. I, ann. 1213, § LXII, e codice biblioth. S. Petri.)

Constantia, Dei gratia imperatrix, semper augusta et regina Sicilie, Urgellensi episcopo devoto suo salutem et dilectionem. Super fratris nostri regis Aragonum (1) qui tantus erat, casum miserabilem et causam tristitie multiformem, eo magis angimur et movemur quo cum toto tempore vite sue miles Ecclesie fuerit et pro fide bellator extiterit, limen et terminus in quo stabat furor ille ac impetus immanium barbarorum, cum apostolice sanctitatis fuerit filius specialis, peccatis exigentibus in ultimis suis inventus est alius, ut ejus videatur demeruisse clementiam multis suis laboribus in longo studio jam quesitam. Narrare vobis non expedit singula que novistis et qui nostrorum vulnerum estis participes et dolorum, ea affectione purissima qua regem ipsum et regnum ac nos et domum regiam dilexistis. Nos quidem propter locorum distantiam diu ignoravimus casus illos, qui propter regni nostri causas urgentissimas celabantur. Ubi tandem nobis super iis indignantibus detecti, statim missimus ad dominum papam per F. de Gajeta regium familiarem, devotum ac fidelem nostrum, preces humiles et devotas, [sed] responsum et eventum negotii ignoramus. Quoniam igitur ad concilium audivimus vos esse venturos, credentes in causa ista que justa est, que pia est, que vestra

(1) Occisus fuit, sicut cuique compertum est, in praelio ante Murellum, duodecima die septembris anni 1213.

est vestro patrocínio relevari, rogamus attentius et monemus quatenus super iis que necessaria sunt consilium et auxilium impendatis. Super dolorem si quidem dolor adjicitur quod ejusdem fratris nostri corpus dicitur insepultum, ut ex eo nobis quotidie moriatur (1). Erit de studio vestro ut saltem modico sit dignus tumulo tot provinciarum dominus et capax animus tot virtutum. Erit nihilominus de sollicitudine vestra apud dominum papam intervenire suppliciter super statu pupilli regis filii, ei salubriter ordinando.

Fridericus, Romanorum rex, eo die quo corpus patris sui Philippi a civitate Bambergensi translatum in ecclesia majore Spirensi sepeliri facit, eidem ecclesie ecclesiam in Esslingen ad se jure haereditario pertinentem cum jure patronatus et redditibus universis tradit, ut anniversarios patris et patris sui majore devotione canonici ordinent celebrari.

In civitate
Spirensi,
30 decembris.

(Edit. ap. REMLING, *Urkund. der Bischöfe zu Speyer*, p. 147, n° 132; coll. cum libro obligat. Spir., t. I, fol. 90, in arch. Karlsruhensi.)

In nomine sancte et individue Trinitatis. Fridericus secundus, divina favente clementia Romanorum rex et semper augustus et rex Sicilie, in perpetuum. Si homini judeo adhuc sub umbra legis veteris constituto superfluum videbatur et vanum orare pro mortuis, nisi eos qui decesserant speraret resuscitandos, nos qui sub tempore gratie et veritatis sumus constituti, sub firmitate catholice fidei de futura mortuorum resurrectione dubitare non possumus; salubre et necessarium orare pro caris nostris judicamus et largitione elemosynarum eis subvenire, ut si forte

(1) Fuisse vero demum regis Petri corpus sepulturae mandatum in monasterio Sixenensi ab Hospitalariis equitibus quos magnis opibus affecerat, tradunt Guill. de Podio et Gesta com. Barcin. Vide etiam ALBERIC., *Chronic.* ad ann. 1213.